



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Ad Quæst. 52. part. 5. Decisio CXXXIV. Episcopus habet jus visitandi in  
omnibus Ecclesiis existentibus intra fines suæ diæcesis[sic!], non  
obstantibus quibuscunque privilegiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Ad Quæst. 52. part. 5.

DECISIO CXXXIV.

Episcopus habet jus visitandi in omnibus Ecclesiis existentibus intra fines suæ diæcesis, non obstantibus quibuscunque privilegiis.

R. P. D. Pirovano.

Deciso 396.  
par. 1. recent.

Toletana seu Nullius jurisdictionis.

Luna 26. Martii 1612.

SUMMARIUM.

- 1 Episcopus de jure communicat omnes Ecclesias suæ diæcesis.
- 2 Vicinior Episcopus præsumitur ille contra quem causa committitur.
- 3 Episcopo quoad visitationem non obstant quavis privilegia.
- 4 Remissoria danda est quando articuli sunt relevantes.

Visum est Dominis inhibitionem esse moderandam, quia cùm D. Archiepiscopus Toletanus de jure habeat fundatam intentionem in jure visitandi omnes Ecclesias existentes intra fines suæ diæcesis, *cap. conquerente de offic. judic. ordin.* donec cognoscatur an aliqua Ecclesiæ vel loca sint exempta, vel nullius, non est incipiendum ab inhibitione sine cognitione causæ. *Cum persona de privil. in 6. cap. constitutus de relig. domib. Capuaq. decis. 2 or. par. 2. Et fuit firmatum in Calaguritana jurisdict. 1. Julii 1605.* quin omnis hæsitatio fuit sublata in materia visitationis per Sac. Concilium Trident. *cap. 8. sess. 7. Et cap. 8. sess. 21. de reformat.* ubi derogatur quibuscunque exemptionibus, & judicium inhibitionibus, & datur Episcopis facultas visitandi tanquam Sedis Apostolicæ delegatis; & idè Serenissimus Princeps Philibertus, quamvis prætendat loca sui Prioratus Castellæ esse exempta seu nullius, effu-

Yyy

gere

gere non potest visitationem Illustrissimi Archiepiscopi Toletani uti viciniore, cui eadem facultas per sacrum Concilium *cap. 9. sess. 24. de reform.* attributa fuit.

<sup>2</sup> Nec dicatur uti viciniore non competere facultatem, quia pro parte Serenissimi Principis negatur qualitas vicinitatis, quæ per Archiepiscopum uti fundamentum suæ intentionis venit probanda: quia fuit responsum illum præsumi viciniorem contra quem causa committitur *cap. 8. de relig. domib.* maxime cum non controvertatur cum alio Episcopo, ut fuit consideratum in *Calaguriana jurisdictione. 16. Junii 1606. coram Reverendissimo Atrebatensi;* & merito, ne interim Ecclesiæ subtrahantur à superioritate ordinariorum, donec qualitas vicinitatis probetur, in grave præjudicium animarum, præsertim in Ecclesiis parochialibus.

<sup>3</sup> Et quoad privilegium Clementis VII. per quod exceditur exemptio locis Religionis S. Joannis Hierosolymitani etiam à visitatione; fuit dictum comprehensum esse sub derogatione Concilii *d. sess. 7. cap. 8. & sess. 21. cap. 8.* quæ loquitur de locis exemptis, & eadem derogatio habetur in his, quæ sunt nullius. *d. cap. 9. sess. 24.* & est sermo generalis ibi: quibuscumque personis quantumcumque privilegiatis. *Tiraquell. de retract. consang. §. 1. glos. 14. numer. 96. Sarnes. in proem. regul. quæst. 4. col. 5. vers. si tamen non obstantibus.*

<sup>4</sup> In secunda parte dubii placuit Dominis remissionem petitam pro parte Serenissimi Prioris esse concedendam post moderatam inhibitionem, tum quia est relevans. *Caputiq. decis. 68. par. 3. Put. decis. 334. in fine lib. 2.* & sæpius fuit resolutum, tum etiam quia nec alia pars contradicebat.



Ad